MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81310-8

AUTHOR:

NIPPERDEY, KARL

TITLE:

CAROLI NIPPERDEII DE LOCIS QVIBVSDAM...

PLACE:

IENAE

DATE:

[1858]

Master Negative #

93-81310-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Nipperdey, Karl, 1821-1875.
...Caroli Nipperdeii De locis qvibvsdam Horatii ex primo Satirarvm commentatio altera. Ienae, prostat in Libraria Braniana, [1858]
21 p. 24½ cm.

At head of title: Index scholarvm aestivarvm pvblice et privatim in Vniversitate litterarvm Ienensi inde a die XVIII m. aprilis vsqve ad diem XXXI m. avgvsti a. MDCCCLVIII habendarvm...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-21-93 INITIALS: M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX
SCHOLARVM AESTIVARVM

PVBLICE ET PRIVATIM

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM IENENSI

INDE A DIE XVIIII M. APRILIS VSQVE AD DIEM XXXI M. AVGVSTI A. MDCCCLVIII

HABENDARVM

AVCTORITATE

PRORECTORIS MAGNIFICI

LEOPOLDI IMMANVELIS RVECKERT

THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS P. O.

ET

SENATVS ACADEMICI

EDITVS.

PRAEMISSA EST

CAROLI NIPPERDEII DE LOCIS QVIBVSDAM HORATII
EX PRIMO SATIRARVM COMMENTATIO ALTERA.

IENAE
PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA.

Assentior iis, qui Horatii esse negant octo versus in paucis codicibus satirae decimae praemissos neque in scholiis explicatos:

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone,
defensore tuo, pervincam, qui male factos
emendare parat versus. Hoc lenius ille,
quo melior vir et est longe subtilior illo,
qui multum puer et loris et funibus udis
exhortatus, ut esset, opem qui ferre poëtis
antiquis posset contra fastidia nostra,
grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illuc.

Primum enim, si par esset codicum auctoritas, quae non est vel eo, quod hi versus in Blandinio antiquissimo non legebantur, quippe quos in uno codice Martinio invenerit Crucquius, tamen ii hac una de causa ab hac satira removendi erant, quod praeclarum est illud initium, in medias res nos rapiens:

Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili,

idem autem ob *nempe* particulam non vulgari modo positam obtusioris ingenii homines offendere et ad explenda ea, quae ipsi requirebant, invitare poterat; quae si Horatius posuisset, nemo erat recisurus. At haec causa demonstrat Horatium hos versus non posuisse, cum postremam manum huic satirae imponeret; non impedit, quo minus initio illos scripsisse et postea demum, cum animadvertisset, quantopere alterum exordium praestaret, resecuisse videatur. Verum ut hoc quoque negemus, duabus causis movemur: neque enim plures recte afferri arbitror, quare hi versus Horatio indigni

iudicentur. Primum, quod permulti monuerunt, pinguius est et a veritate atque ipsius Horatii sententia saepius accurate exposita abhorrens illud *quam sis mendosus;* deinde non solum pingue, sed aut ineptum aut pravae calumniae plenum, quod hoc se ea re demonstraturum affirmat, quicumque hos versus scripsit, quia Cato Lucilii versus male factos emendare paret. Neque enim profecto Lucilii manum is corrigebat, sed restituebat remotis vitiis neglegentia vel mala sedulitate aliorum hominum illatis. Quod si haec perspecta a se data opera a vero deflexit et consilio suo accommodavit horum versuum scriptor, haec calumnia certe prorsus abhorret ab ea ratione, qua Horatius cum ubique, tum in hac satira de Lucilio agit. Verum qui hos versus composuit, si vere dixit, cum haec scriberet, Catonem in emendandis Lucilii poëmatis occupatum fuisse, fere aequalis Horatii fuerit necesse est. Nam id quidem nemo facile dubitaverit, quin de nobili grammatico Valerio Catone haec intellegenda sint. Quem cum Suetonius gr. 11 pupillum licentia Sullani temporis patrimonio exutum eundemque ad extremam senectam vixisse narret, non multum a vero aberrabimus, si natum anno 90 ante Ch., cum Horatius hunc librum ederet, annum quintum et quinquagesimum egisse et prope ad 10 annum ante Christum vitam produxisse statuamus. Non autem in postremos eius annos curam in Lucilio collocatam removebimus. At potuit homo longe postea natus fraudis tegendae causa, ut ipse Horatius videretur, illam temporis notam ponere. Recte, modo hoc teneamus, talem hominem nulla alia de causa videri posse hos versus adiecisse, nisi quod particula *nempe* initio satirae posita offenderetur. Hanc autem ingenii imbecillitatem mihi quidem non persuadetur in eum cadere, qui illos versus composuit, qui quidem, cuicuimodi sunt, certe hominem ostendunt in litteris non vulgaribus versatum et solvendae difficultati certe non gravissimae parem. Quod si hi versus omnino non sunt ad fraudem faciendam compositi, sequitur primum, ut vera sit illa temporis nota, deinde ut non a scriptore hic positi, sed ab alio homine aliunde translati sint. Sic igitur statuo, hominem quendam satis stolidum offensum particula *nempe* in ipso exordio collocata, ut defectum, quem sibi repperisse videbatur, expleret, ex poëta Horatii fere aequali et eandem in poësi sectam secuto, qui et ipse de Lucilio longiore carmine egisset, huc transtulisse versus illos usque ad verba *grammaticorum equitum doctissimus* atque hos versus verbis *ut redeam illuc* a se ipso interpositis

Horatianae satirae agglutinasse, quamquam haec postrema verba per se reprehendenda non arbitror, quibus satis recte post paulo longiorem digressiorum de grammaticorum equitum doctissimo rediri ad Lucilium significatur, adeo ut non repugnem, siquis haec quoque scriptori priorum versuum tribuere malit, quibus ille ad suum propositum regressus sit. Qui poëta ab interpolatore expilatus quo nomine fuerit, ignorabo equidem, donec probabili aliquo indicio cognoro; quod adhuc nullum esse arbitror sanis quidem hominibus. Kirchneri, quem haec Furio Bibaculo tribuere apud Linkerum legi, me nihil habere praeter primam partem novae editionis moneo; cuius rei me paenitebit, simulac me discere aliquid potuisse ex reliquis partibus edoctus fuero. Nec me a sententia modo proposita demovet, quod Orellius Frontonis aetati hos versus tribuit. Qui quidem nullum argumentum eius rei, de quo dicere opus sit, proposuit; sed in verborum usu cum omnia Horatianae aetati conveniant, inest tamen unum aliquod, quo uti poterat Orellius, at hoc ipsum, ut arbitror, non a poëta, sed a librariis profectum.

Nam v. 6 in pluribus atque antiquioribus codicibus legitur *exoratus*, in reliquis, quod posuimus, *exhortatus.* Atque illud quidem ferri non posse recte demonstravit Horkelius Analecton Horatianorum p. 115; hoc, si aut ipsum verum est aut reliqua recte habent, passive dictum accipiendum est. Qui usus antiquiori sermoni conveniens potuit sane ab homine Frontonianae aetatis referri, ab Horatiana plane abhorret. Nam ut eos omittamus, qui *horto* posuerunt, Plautum Asin. III. 1, 9 *animus hortat* et Claudium Quadrigarium ap. Non. p. 472 M. *hos cohortarent*, haec sunt certa illius usus exempla: Cato ap. Gell. XV. 13, 5 *exercitum cohortatum eduxit;* Cassius, quem hoc ipsum non Cassium Severum, sed Heminam esse evincit, ap. Prisc. VIII. 15 *adulati erant ab amicis et adhortati;* Varro ap. eund. VIII. 20 *ab amicis hortaretur;* Apuleius Metam. IX p. 662 Oud. *canes in eorum exitium inhortatos.* Verum non solum in hoc verbo hic haereo. Nam quod dixit poëta *hoc lenius ille*, certe significare noluit, quae non nullorum sententia fuit, lenius Lucilium emendasse Catonem. Si enim lenius emendasset, pauca vitia inesse significasset, quod contrarium est verbis *quam sis mendosus;* et quod caput est, id requiri apparet, ut comparentur inter se, quae defendendi Lucilii causa egerint Cato et ille grammaticorum equitum doctissimus; quorum si uterque emendabat Lucilii versus male factos, non tantum teste Catone, sed

hoste hortato Auct. b. Alex. 1, 5.

utroque pervicturus erat poëta, quam mendosus esset Lucilius, et is certe magis laudandus erat, qui acriter emendabat: hic enim subtilius iudicium ex sententia poëtae ostendisset, cum plura vitia in Lucilio deprehenderet. Itaque *hoc* ante *lenius* est accusativus pendens ex verbo *facit* cogitatione supplendo, et haec fuit poëtae sententia, lenius agere Catonem, qui emendaret Lucilium, quam illum alterum, qui alia ratione Lucilio subvenire studeret. Atqui quo modo hic subvenerit, nihil relatum legimus; id legimus, quid passus sit. Rectam igitur viam ingressum puto Reisigium sive ante eum Wissium, qui *puerum* scribendum coniecit et Orbilium hic describi iudicavit. Atque is falsa opinione ductus, Horatii hos versus esse, data opera *puerum* posuit, ut is similiter hic de se praedicaret atque epist. II. 1, 70 notis versibus:

memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare.

Sed quicumque haec scripsit, singularis numerus *puerum* ferri nequit. Nam si horum versuum scriptor ipse esset ille, quem Orbilius antiquis poëtis opem ferre voluisset, non diceret *contra fastidia nostra,* ut se ipsum includeret. Equidem ita hunc poëtam scripsisse arbitror:

Hoc lenius ille,
quo melior vir et est longe subtilior illo,
qui multum pueros loris et funibus udis
exhortatus, ut esset, opem qui ferre poëtis
antiquis posset contra fastidia nostra,
grammaticorum equitum doctissimus.

In quibus *qui* non nominativum, sed ablativum sive adverbium esse puto; id quod post *puerum* fieri non poterat. Quod si non apertissime dictum videatur, condonabitur huic poëtae, quem hac ipsa re, quod alia quoque in eo vituperanda sunt, Horatium non esse intellegimus. Hoc igitur dicit: Cato Lucilii versus male factos emendat, hic alter unum habebat, quo antiquis poëtis subvenire posset, lora et funes. Neque dubito ne ego quidem, quin haec de Orbilio dicta sint, quem clarum saevitia fuisse Suetonii verba ostendunt gr. 9: *Fuit autem naturae acerbae non modo in antisophistas, quos omni sermone laceravit, sed etiam in discipulos, ut Horatius significat plagosum eum appellans, et Domitius Marsus scribens*

Siquos Orbilius ferula scuticaque cecidit.

Pro quibus quod hic poëta lora et funes udos posuit, plane sui similis fuit, quippe quem in Lucilio quoque modum egressum iudicaverimus. Orbilius autem cum consule Cicerone quinquagenarius fuerit et prope ad centesimum annum vixerit, vitam produxit usque ad annum fere 13 ante Ch. n.; idemque cum equo meruisset, recte eques appellatur. Ne magnam famam quidem, qua eum docuisse Suetonius refert, omisit hic poëta, sed hanc famam irridens adiecit illa *grammaticorum equitum doctissimus;* quae verba per appositionem ad *posset* referuntur.

V. 35 sqq.

Scilicet oblitos patriae patrisque Latini,
cum Pedius causas exsudet Poplicola atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
verba foris malis Canusini more bilinguis?

fere omnes scholia secuti duos homines ab Horatio commemorari statuunt, Pedium Poplicolam et Messallam Corvinum. Plerique autem id quoque accipiunt, quod Acro hos fratres fuisse refert, ita ut Poplicolam a Q. Pedio, consule anni ante Ch. n. 43 eodemque anno defuncto, adoptatum esse statuant. Huic autem Q. Pedio filium fuisse scimus, qui frater Messallae non esset, ita ut, qui scholia sequuntur, eo compellantur, ut praeter hunc filium fratrem Messallae a Q. Pedio ascitum existiment. Sic enim Plinius refert hist. nat. XXXV. 4, 21: *Cum Q. Pedius, nepos Q. Pedii consularis triumphalisque et a Caesare dictatore coheredis Augusto dati, natura mutus esset, eum Messalla orator, ex cuius familia pueri avia fuerat, picturam docendum censuit.* Si enim pater huius muti pueri frater Messallae fuisset, cur Plinius remotiorem cognationem commemoraret omissa proxima? At unum fratrem Messallae fuisse Horatius demonstrat v. 93 huius satirae, qui hac compellatione *Messalla tuo cum fratre* uti non poterat, si plures fratres habuisset Messalla: unde enim, quem fratrem diceret, intellegeretur? Hunc autem unicum Messallae fratrem non Pedium quendam Poplicolam, sed L. Gellium Poplicolam fuisse constat, de quo sta-

tim dicam. Nullis igitur artificiis effici potest, quin falso scholia de hac re retulerint. Sed Heindorfius, ut tamen duos illos homines a scholiis commemoratos teneret, filium Q. Pedii consulis anni 43 a matre, quam Plinius ex Messallae familia fuisse ait, Poplicolae cognomen assumpsisse statuit. Quo invento fruatur, qui volet: ego hoc sequor, quod Pedium Poplicolam praeter Horatii scholia nemo novit, tres vero homines hoc tempore vixisse constat, Messallam Corvinum, Q. Pedium, filium consulis anni 43, patrem muti filii, de quo Plinius refert, L. Gellium Poplicolam, fratrem Messallae; et cum horum nomina apud Horatium reperiam, hos tres ab eo commemoratos iudico. Et L. Gellium Poplicolam, de quo nihil inaudivisse interpretes Horatii videntur, initio easdem partes atque fratrem Corvinum secutum, primum Bruto, deinde Cassio insidiatum esse, et cum ab his Pollae matri et fratri concessus esset, ad Octavianum transfugisse, anno autem ante, quam haec satira ederetur, 36 ante Ch. n. consulem fuisse referunt ep. Liv. 122, Cassius Dio XLVII. 24. XLIX. 1 fastique consulares. At nequid hoc loco non temptaretur, fuerunt, qui *Poplicola Corvinus* coniungendum putarent, et Orellius etiam Messallae Poplicolae nomen fuisse asseverat, et repetit hoc quoque mira reverentia Kruegerus, cui opto, ut meliorem huius rei auctoritatem reperiat. Non deerunt autem, ut spero, qui in posterum ita mecum hunc versum distinguant:

cum Pedius causas exsudet, Poplicola atque
Corvinus.

De *atque* particula monui commentationis I p. 12.

Iam pluribus locis demonstravimus, quam caute utendum esset Horatii scholiis, quamquam in iisdem quaedam bonae frugis latere perperam ab interpretibus neglecta aliis exemplis probavimus. Minima autem fide digni sunt ii, *qui de personis Horatianis scripserunt* (quibus verbis a scholiastis producuntur); quos certum est longe plurima finxisse et ineptissimis mendaciis commentarios Horatianos implesse. Maxime insignia eius rei exempla sunt *Petillius Capitolinus*, de quo ne Ritterus quidem scholiis credidit (Kruegerus autem veterem fabulam in usum scilicet scholarum repetiit) et *Fannius*, ab Horat. sat. I. 4, 21. 94. 10, 34 commemorati, de quibus monuit Otto Iahnius nov. mus. Rhen. VI. 589. De *Fannio* autem legen-

dae sunt quattuor diversae fabulae ab Acrone relatae, non pauca illa, quae in excerpta Crucquiana recepta sunt, ut et quo modo illud hominum genus in fingendo versatum sit, cognoscatur, et qua auctoritate tam male de praefectis publicarum bibliothecarum, quae primae Romae constitutae sunt, existimetur, ut *ineptum convivam Tigellii Hermogenis*, ut appellatur ab Horatio 10, 87, recepisse videantur. Atque si recte, ut equidem arbitror, nulla primi libri satira post annum 35 ante Ch. n. edita iudicatur, una tum erat Romae publica bibliotheca ab Asinio Pollione anno 39 in Atrio Libertatis constituta, in quam cum ille ex vivis unius M. Varronis imaginem reciperet, ut Plinius refert hist. nat. VII. 30, 115, putabimusne vivo Pollione eundem honorem concessum esse Fannio? sive hanc satiram aliquot annis post editam concedere licet, num id factum credemus in bibliotheca Octavia, quam anno 33 publicatam esse Dio XLIX. 43, praefectum accepisse C. Melissum Suet. gr. 21 tradunt? At tres ex illis nugatoribus de auctoritate et imagine senatus consulto Fannio data narrant. Apparet igitur eos de bibliotheca Palatina cogitasse, quam anno 28 demum institutam esse ex Dione constat LIII. 1, in qua in clipeis imagines auctorum positas eumque honorem Germanico mortuo a senatu decretum esse Tacitus ab exc. d. Aug. II. 36 et 83 demonstrat. Sed id tamen recte in scholiis legitur: *Fannius, cui ultro delatae sunt capsae, ut suos libros mitteret.* Nam verba

beatus Fannius ultro
delatis capsis et imagine

neque ita interpretari licet, ut Fannio capsae et imago oblatae sint, quibus domi suae uteretur, qui honos non magnus fuisset neque certe homines legendorum Fannii librorum cupidos ostenderet, quod flagitant proxima:

cum mea nemo
scripta legat;

neque ita, ut ipse Fannius capsas et imaginem in aliorum bibliothecas detulerit, neque ut amici hoc fecerint: nam ne haec quidem proximis verbis conveniunt, postrema interpretatio ne *ultro* quidem vocabulo. Itaque privati homines capsas et imaginem se faciendas curaturos Fannio polliciti erant (hoc enim est *deferre, antragen)*, si

iis suos libros concederet, quos illis capsis inclusos una cum imagine in suis bibliothecis reponerent. Sed, ut fit, ut ii, qui mendacia fingunt, ingenii inopia saepius ad easdem res relabantur, ita hos quoque homines, qui de personis Horatianis scripserunt, in tertia satira bis M. Antonio triumviro et urbe Alexandria ad exornandas fabulas suas usos reperimus. Nam et *Sisyphum* v. 47 commemoratum alii nepotem, si dis placet, Antonii vel nescio qua cognatione cum eo coniunctum (valde enim corrupta sunt Acronis verba), alii pumilionem eiusdem fuisse tradiderunt, de quo lepidam narratiunculam rei Alexandriae gestae adiciunt excerpta Crucquiana; et *Euandrum*, de quo v. 91 legimus, plasten et caelatorem ab Antonio Athenis Alexandriam, ab Augusto capta Alexandria Romam abductum. Et de Sisypho omnes crediderunt, de Euandro complures recte negaverunt, quamquam argumentis non satis idoneis usi. Sed cum Horatius v. 47 his verbis utatur:

ut abortivus fuit olim
Sisyphus,

apparet eum non dicere de homine paucis annis ante mortuo, ut vel is statuere cogitur, qui hanc satiram solus ad annum 34 detrudit, Franciscus Ritterus, nedum illa somnia conveniant tempori rectius constituto, anno 39 vel 38. Commemoravit poëta hominem dudum mortuum, sed fama celeberrimum, de quo legerat, ni fallor, apud aliquem admirandorum scriptorem. Idem cum v. 91 sic scriberet:

mensave catillum
Euandri manibus tritum deiecit,

nihil potuit aliud significare nisi vas ab Arcade illo Euandro, antiquissimo Romae incola, usu detritum. Nam sanus quisque homo, quae legit, simplicissima et maxime obvia sententia accipit; cui generi cum scribat bonus poëta, necessario, siquid aliter, atque vulgo fit, intellegi vult, huius rei indicium aliquod ponendum putabit. At celeberrimus et vel pueris Romanis notus Euander erat Arcas ille; pervagatus verbi, quod est *terere*, usus, quem supra posuimus. Itaque cum plastes Euander et catillum torno tritum nulla re indicetur, iniuriam poëtae faciemus, si haec pro illis substituerimus. Sed vel in nostris scholiis quibusdam locis una cum mendaciis eo-

rum, qui de personis Horatianis scripserunt, saniora servata sunt. Velut ad eiusdem tertiae satirae v. 85 sqq.

acerbus
odisti et fugis ut Rusonem debitor aeris,
qui nisi, cum tristes misero venere calendae,
mercedem aut nummos undeunde extricat, amaras
porrecto iugulo historias captivus ut audit,

conficta haec sunt, quae Porphyrionis verbis referam: *Octavius Ruso* (usi sunt nugatores Cn. Octavio Rusone quaestore a Sall. Iug. 104 commemorato) *acerbus faenerator fuisse traditur, idem scriptor historiarum, ad quas audiendas significat solitum fuisse cogere debitores suos.* At Acro hanc aliorum sententiam dicit; alii, ut idem refert, *historias* interpretati erant *convicia.* Qua sana ratione spreta recentiores interpretes omnes illas nugas secuti sunt. Itaque iidem, cum apud nostratem de faeneratore quodam legerint: *seine schuldner bekommen predigten zu hören,* eum faeneratorem contiones sacras aut habuisse aut scripsisse existimabunt. Hic quoque illud tenendum erat, quod antea monui: tam mira res est faenerator pecuniae idemque historiarum scriptor gloriae cupidus, ut Horatius, si veras historias hic intellegi voluisset, hoc non potuerit non aperto aliquo indicio significare. Puto apparere, quam foeda superstitione laborent, qui audacia mendaciorum ad credendum compellantur, et quo illi homines, qui de personis Horatianis scripserunt, nulla in confingendo religione neque modo usi plura atque accuratiora se comperisse simulant, eo maiorem iis fidem habeant. Videbantur autem haec praemittenda, quo certius eorundem hominum grave mendacium convinceremus, quo cupide accepto insignis iniuria facta est egregio cuidam poëtae Romano non solum ab Horatii interpretibus omnibus, sed etiam a scriptoribus historiae litterarum Romanarum praeter unum Godofredum Bernhardyum. Qui quoniam brevissime, ut poterat, de hac re admonuit historiae litterarum Romanarum iterum editae p. 462, operae pretium putavimus eandem quaestionem uberius pertractare, ut error a viro doctissimo notatus funditus tolleretur.

Nam Horatii versus sat. I. 10, 44:

Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona dumque
defingit Rheni luteum caput,

Acron interpretatur de *Bibaculo*, ut recte Bentleius etiam in excerptis Crucquianis restituit, cum Crucquius *rivalem* posuisset; Porphyrio ad Cornelium quendam Alpinum refert. Sed sat. II. 5, 40:

seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana nive conspuet Alpes,

uterque Furium Bibaculum irrideri consentit, cuius hic versus fuerit in *pragmatia* belli Gallici:

Iuppiter hibernas cana nive conspuit Alpes.

Neque id dubitandum videtur, quin idem poëta utroque loco irrideatur, cum et tumidus atque inflatus homo utrobique commemoretur (ita enim et turgidum et pingui tentum omaso interpretor, non ventre tumente, quia proxima de carminibus hominis agunt), et Rhenus atque Alpes idem argumentum demonstrent. Id quoque recte interpretes ex utroque loco desumpsisse arbitror, hunc poëtam scripsisse Aethiopida et libros de bello Gallico: nam *pragmatiam* ne ineptissimus quidem Latinus poëta dixerit. Sed de Furio Bibaculo pernego. Primum enim praeter scholia Horatiana nemo hunc epica carmina composuisse auctor est. Nam perverse Weichertus in poëtarum Latinorum reliquiis p. 353 eos versus, quos ex Furio Antiate profert Gellius XVIII. 11, huic Bibaculo tribuit. Quos versus novorum verborum inchoativorum deliciis insignes quod a gravitate illius temporis, quo Furius Antias vixerit, abhorrere putat, plane contra est. Nam C. Marii et L. Sullae aequales non pauci, cum nequaquam omnia antiquitatis et ruris vestigia detersissent, tamen ita in quibusdam rebus elegantiam, leporem, argutias, festivitatem affectabant, ut gravitatem et vim et robur neglegerent. Quae res in praecipuis auctoribus C. Titio et Caesare Vopisco a Cicerone notata ad quem lusum atque ineptias processerit, ea ostendunt, quae ex Laevii et Cn. Mattii carminibus supersunt, quae alii tempori nisi huic tribuere non licet: neque enim profecto ille Cn. Mattius idem est atque C. Matius, Caesaris et Augusti familiaris. Sed non solum nemo praeter scholia Horatiana Furium Bibaculum epica carmina composuisse tradidit, verum etiam omne certe longum et historicum epos, quales libros de bello Gallico

poëtae ab Horatio notati fuisse necesse est, quos Caesaris res gestas comprehendisse nemo negaverit, plane a genere poëseos abhorret, quod Bibaculus secutus est. Fuit enim ille ex eorum poëtarum numero, qui Alexandrinos potissimum secuti simul et in oratione et in versibus componendis ab antiquiorum poëtarum Romanorum consuetudine discedebant, retenta illa ab utroque Varrone, Lucretio ipsoque Cicerone, qui hos novos vel νεωτέρους Romanorum poëtas et vituperat et irridet Tusc. III. 19, 45. or. 48, 161. ad Att. VII. 2, 1. Apparet id praeter hendecasyllabos Catullianis simillimos ex coniunctione eius cum Valerio Catone, quem Suetonius refert peridoneum praeceptorem visum esse maxime ad poëticen tendentibus, quem Cinna nostrum appellat, cuius qui ex duobus carminibus supersunt versus hexametri 183 plane habent novorum poëtarum colorem, ita ut dubium non sit, quin hic huius generis praeceptor fuerit; a qua re non dissentire putabimus, quod idem Lucilium emendaverit neque pessime de eo iudicarit. Sed cum Bibaculus apud Suetonium *summam prope* Catonis *senectam* commemoret, comparantibus, quae de huius aetate supra monuimus, Hieronymum falso illum anno 99 natum referre apparebit, maiore etiam errore, quam quo Catulli tempora decem annis reiecit: nam Bibaculi annus natalis minimum viginti annis promovendus est. Hi igitur novi poëtae omnes minora carmina composuerunt, maxime amatoria, iambos, epigrammata (et quia toti fere in hoc minuto et leviore genere erant, Horatius sat. I. 10, 27 despicit homines *nil praeter Calvum et doctos cantare Catullum);* in epico genere et ipsa minora et fabulas magna doctrina exornatas, non historiam tractantia, ut Catullus epithalamium Pelei et Thetidis, Calvus Io, Cinna Zmyrnam. Non est igitur probabile ab hac consuetudine recessisse Furium Bibaculum. At tam insignis is fuit in uno genere poëta, ut, si mala carmina epica composuisset, vel miraculi causa hoc tacituri non fuerint, qui eum laudant, ita ut utraque re, et silentio omnium praeter scholia Horatiana et ipsius in iis carminibus, de quibus constat, praestantia, aut nullam epos eum composuisse, id quod verisimillimum est, aut, siquid ex hoc genere composuerit, certe non ea composuisse, quae Horatius reprehendat, evincatur. Nihil autem constat nisi iambos et epigrammata ab eo scripta: nam ne amatoria quidem carmina composuisse, quae omnes eiusdem sectae cum illis coniunxerunt,

Ovidius ostendit trist. II. 421 sqq., ubi enumeratis omnibus, qui ante ipsum amores cecinerint, Bibaculum non commemorat, nisi forte est inter eos,

. . quorum libris modo dissimulata Perillae
nomine, nunc legitur dicta, Metelle, tuo.

Verum in iambica, hoc est omni maledica poësi fuit praestantissimus. Atque hic non nihil dissentio a Bernhardyo, cui obfuit, ut puto, quod, cum primum historiam litterarum Romanarum ederet, et ipse secutus erat scholia Horatiana, quo minus ne nunc quidem suum locum huic poëtae tribueret. Ita enim iudicat Quintilianus X. 1, 96: *Iambus non sane a Romanis celebratus est ut proprium opus; quibusdam interpositus: cuius acerbitas in Catullo, Bibaculo; in Horatio, quamquam illi epodos intervenit, non reperiatur.* De postremis verbis non disputo, quae in codicibus corrupta ita recte ab aliis emendari statuo: hoc apparet, in iambica poësi omnium poëtarum ante Horatium Quintiliano praestantissimos visos esse Catullum et Bibaculum. Quod quale sit, rectius aestimabit, qui ne Calvum quidem cum eo comparari reputaverit, cuius erant nobilissimi iambi, pleni ingentis animi, ut Seneca ait contr. VII. 19, 7. Atque similiter cum Catullo coniungitur apud Tac. ab exc. d. Aug. IV. 34: *carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur*; quae simul ostendunt recte nos de aetate Bibaculi statuisse: neque enim homo fere sexagenarius in Octavianum, qui primum anno 44 ad rem publicam accessisset, multa composuerit. Neque aliter Diomedes p. 482 P.: *cuius carminis* (iambum dicit) *praecipui scriptores apud Graecos Archilochus et Hipponax, apud Romanos Lucilius et Catullus et Horatius et Bibaculus.* Qui consensus satis ostendit omnium criticorum hoc fuisse iudicium, ut ante Horatium Catullus et Bibaculus omnium praestantissimi iambicae poëseos auctores existimarentur. Neque hanc ei gloriam, non magis quam Valerio Catoni suam, detraxerit Messalla Corvinus, quem Suet. gr. 4 in quadam epistula scripsisse refert *non esse sibi rem cum Furio Bibaculo, nec cum Ticida quodam aut litteratore Catone;* dixit autem paulo contemptius ipse nobilissimus in homines genere ignobiles neque a re familiari beatissimos. Sed immerito Bernhardyus bilem tantum Bibaculi laudandam putavit. Cuius quod acerbitatem commemoravit Quintilianus, fecit hoc, quod summam hanc iamborum scriptoris laudem putaret, non quod solam huius poëtae. An sola acerbitate censetur Catullus? Quo non inferiorem fuisse Bibaculum in quibusdam carminibus elegantia, iucunditate, gratia versus ostendunt de Valerio Catone a Suetonio relati gr. 11: tantum a Bernhardyo dissentio, aculeis magis quam gratia conspicuos dicente. Quorum versuum prioribus nihil mea sententia potest esse dulcius: alteri de Catonis difficultate rei familiaris tanta cum festivitate et tam insigni hominis laude iocantur sine ulla malitia, ut gratissimi esse debuerint nobili grammatico, cui familiaris paupertas neque summum malum videretur neque pudori esset. Satis mihi demonstrasse videor tam insignem hunc fuisse poëtam, ut eum non irrideri ab Horatio certum sit. At quis fuit ille ab Horatio notatus? Furius Alpinus nescio quis, certe iis ipsis nominibus, quae apud Horatium legimus, Fabiis, Crispinis, Fanniis, Cassiis Etruscis aequiperandus. Eius versum fuisse

Iuppiter hibernas cana nive conspuit Alpes,

etiam non lecto eius libro Horatius ipse docebat; et puto Quintilianum, qui eundem una cum *capitis nivibus* ex Horatii carm. IV. 13, 12 affert, memoria deceptum ipsius Horatii hunc versum existimasse. Remotum est igitur ultimum exemplum hominis ficto nomine ab Horatio perstricti, postquam de *Malthino* (I. 2, 25) dixit Nicolaus Madvigius opusculorum priorum p. 63, quem omnes secuti sunt praeter Kruegerum, qui hoc quoque in usum scholarum retulit. Atque Madvigius hoc rectissime monuit, totum illud fictorum nominum genus plane a satira Romana abhorrere: reliqua eius argumenta non adeo firma sunt; ut auctoritate magis imposuisse Horatii interpretibus videatur, qua eos facilius moveri quam argumentis non hoc solum exemplum est. Quo mihi exoptatius est de Furio Alpino eandem ante me sententiam tulisse Godofredum Bernhardyum.

Verbis de turgido Alpino modo tractatis haec subicit Horatius sat. 1. 10, 45:

haec ego ludo,
quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa,
nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.

Duplicem horum verborum apud interpretes explicationem legimus, quam utramque etiam in scholiorum confusa relatione dinoscere licet. Aut enim omnia interpretantur de poëmatis scenicis, quae primum a Tarpa probata deinde in scenam venerint, aut

priora de quocumque genere recitandorum carminum, altera de fabulis in scena agendis, nisi quod Wuestemannus omnia de recitandis aut in aede aut in theatro carminibus accepit, quem fugit, ne alia proferam, vocabulum *spectanda*, neque Ovidium trist. II. 519:

Et mea sunt populo saltata poëmata saepe,
saepe oculos etiam detinuere tuos,

quem locum protulit, ut omnis generis carmina in theatro cum gestu et motu verba exprimente recitata probaret, pantomimos commemorare perspexit. Et priores sequuntur ea, quae excerpta Crucquiana servarunt, nulla carmina in scenam esse delata, nisi quae recitata a poëtis a Tarpa aut alio ex quinque iudicibus essent probata. Neque haec per se improbabilia dixerim, cum eiusdem Sp. Maecii Tarpae iudicio antea subiectas esse fabulas, quae Pompeii ludis anno 55 agerentur, Cicero auctor sit ad fam. VII. 1, 1. Sed aliis rebus hic fraudis convincuntur. Nam si de solis fabulis scenicis diceret Horatius, qui illam Tarpae probationem ab agendis fabulis separare poterat, cum hoc unum fabularum scriptoris interesset, ut agerentur fabulae? An iam in eo aliqua gloria erat, quod fabulae Tarpae iudicio subicerentur? Minime vero: qui enim his iudicibus ullam fabulam non lectam reicere licebat? Aut quo modo Horatius utramque rem ita commemorare poterat, quasi fieri potuisset, ut is, qui sua carmina illis iudicibus examinanda proposuisset, ea non agi in scena voluisset, cum illa re, ut hoc fieret, expeteretur? At alia sententia enuntiatorum duplici particula *neque* coniunctorum esse non potest. Apparet Horatio, si haec omnia de fabulis scenicis posuisset ita dicendum fuisse: *quae non, cum certaverint iudice Tarpa, redeant iterum atque iterum spectanda theatris*, aut *quae non certent iudice Tarpa, ut redeant* et q. s. Deinde qui fiebat, ut hi quinque vel sex viri fabulis probandis iudicarent in aede? Putes ad hanc rem modicum cubiculum suffecisse, quod iudices et poëtam reciperet, vel si frequentia admitteretur et publico loco auctoritatis causa opus videretur, certe non locum sanctissimum personuisse turpissimis comoediarum et mimorum actibus. Scholiastae aut urbis Romae aut huius satirae temporum, ut solent, immemores hoc factum dicunt, Acro in Museo aut Athenaeo, excerpta Crucquiana in aede Apollinis seu Musarum, hoc est Apollinis Palatini, unde detruncata in Acronis et Porphyrionis re-

liquias venit aedes Musarum. Et eius modi recitationes, fieri potest, ut habitae sint in bibliothecis aedi Apollinis Palatini et Athenaeo adiectis; sed cum Horatius haec scriberet, illae non erant: in aede factas esse incredibile est. Atque haec etiam illis obstant, qui v. 46 de recitationibus omnis generis intellexerunt, auditoribus corrogatis a privato homine habitis. Numquam enim eae in aede habitae sunt, id quod religionem loci reputantibus ipsa re patere debebat: ut operam luserit Franciscus Ritterus detruncata scholiastarum verba de vetere aede Herculis Musarum a Fulvio Nobiliore dedicata interpretatus. Nam quod Kruegerus abusus est versibus epist. II. 2, 94 sqq., iam dudum recte ii explicati sunt de bibliotheca Palatina, quam illi poëtae, quos Horatius inducit, vatibus Romanis eo nomine dignis vacuam iudicent. Unum carminum genus sonare in aede Romana poterat, nimirum quod in cultu deorum diebus festis celebrandis caneretur, quale ipse poëta postea composuit carmen saeculare. Talia igitur carmina hic significavit poëta. Atque ita aptissime coniunxit ea poëseos genera, quae cantu et actione ad frequentis populi aures atque oculos perlata magnam poëtae in vulgus commendationem afferrent, lyrica carmina elatissima et fabulas scenicas. Sed quia ad illa perite audienda non vulgari iudicio et musicae atque poëtices subtiliore cognitione opus erat et periti maxime illos cantus frequentabant, dixit haec *certantia iudice Tarpa*, hoc est poëtam his carminibus contendere, ut severorum et peritorum criticorum iudicium auferant et ab iis aliis eiusdem generis praeferantur. Sp. Maecius Tarpa autem, qui anno 55, cum Pompeii ludis fabulas probaret, non potest videri quadraginta annis minor fuisse, cum haec satira scriberetur, sexagenarius, cum ab Horatio in arte poëtica v. 387 commemoraretur, octogenarius fuit, si usque ad hoc tempus superfuit: nam id certe vere dixit Bentleius artem poëticam ex ultimis esse Horatii carminibus et Maecium ibi figurate pro quovis perito iudice poni, cum, etiamsi superfuerit, tamen decrepitus senex iudicis officio fungi nequiverit. Sed qui scholia Horatiana cognoscere cupiunt, ii operae pretium facient, si ea quoque perlegerint, quae Acro de Tarpa ludi magistro et veteribus ludi magistris in aedibus sacris docentibus refert.

V. 61 sqq.

Nil comis tragici mutat Lucilius Atti,
non ridet versus Enni gravitate minores,
cum de se loquitur non ut maiore reprensis?

recte Nicolaus Madvigius Opusculorum priorum p. 106 ad scholiorum explicationem redeundum demonstravit. Sed miror neque ipsum neque post eum alios animadvertisse huic explicationi repugnare indicativum *cum* particulae adiunctum, quae ipsa causa videtur superioribus fuisse a scholiis discedendi. Nam huic particulae, cum significetur aliquid, quod superioribus comparetur et diversa quadam sui natura illa leniat et quasi compenset (vituperat enim Lucilius Attium et Ennium, at se illis non praefert), necessario adiungendus erat coniunctivus: *cum* adiuncto indicativo hic nihil significare potest nisi *quoties*, quod ineptum est. Recipiendum est igitur, quod in codice Bersmanni legi Kirchnerus refert: *dum.*

Breviter sententiam dicam de loco vexatissimo huius satirae, qui legitur inde a v. 72:

fuerit Lucilius, inquam,
comis et urbanus, fuerit limatior idem
quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
quamque poëtarum seniorum turba.

Acquiescunt nunc plerique in Heindorfii explicatione, uberius exposita illa a Carolo Friderico Hermanno, ut Horatium hoc significare iudicent: fuerit Lucilius limatior, quam exspectari poterat, cum esset auctor carminis rudis et Graecis intacti. Et sane, si *rudi et Graecis intacto carmine* satira Romana significatur, hoc verissime vidit Heindorfius, huius *auctorem* hic non alium dici posse quam Lucilium. Nam quidquid contra dicunt Bernhardyus historiae litterarum Romanarum p. 497 et Vahlenus Ennii sui p. LXXXIII, Horatius, qui v. 56 Lucilium satirae *inventorem* dixisset, nullum poterat alium eiusdem *auctorem* existimare. Neque enim Bernhardyo concedere possumus Ennium auctorem satirae dici posse, quia primus poëmata vario argumento variisque numeris hoc nomine appellata composuerit, Lucilium eiusdem inventorem, quia propriam huic generi legem et normam imposuerit. Numquam enim Latine is auctor appellatur, qui alia re agenda, ita ut ipse nolit, in causa est, ut

alteri aliquid in mentem veniat. Auctor potius inventorem comprehendit; vel siquod discrimen statuere licet, inventor auctore prior est, ut, quod ille excogitaverit, hic primus agat eaque re alios, ut se imitentur, permoveat. Sed neque Horatius neque ullus alius paulo antiquior homo Romanus Ennium ulla ex parte satirae Romanae auctorem putavit. Neque enim solum Horatius nusquam Ennii in hac re nomen ponit, sed huius libri 4, 6, ubi exponit, quos secutus sit Lucilius, antiquae comoediae Atticae poëtas commemorat: *hinc*, inquit,

omnis pendet Lucilius, hosce secutus
mutatis tantum pedibus numerisque.

Satisne perspicue significare videtur nihil Lucilium debere Ennio? Nimirum Horatius et omnes post Lucilium Romani id, quod saturam appellare consuerant, plane diversum putabant ab Enniana satura, tam profecto quam ab antiquis illis scenicis saturis, de quibus Livius dicit VII. 2. Itaque cum saturae nomine uterentur, unam Lucilianam intellegebant, id est eam, quae ad mores hominum eiusdem aetatis referretur, et quidquid ageret, sive itinera describeret, sive grammaticae rationem emendaret, ad hos respiceret. Sic Quintilianus X. 1, 93 primum dicit de *satira*, quia hoc solo nomine posito satis apparebat, quam diceret; postea, ubi de Enniana et Varroniana acturus est, subicit *alterum illud etiam prius satirae genus.* Similiter vel Diomedes p. 482 P. discernit *satiram*, quae *nunc dicitur* et *quae olim vocabatur.* Horatius igitur, ubicumque *satiram* nominavit, Lucilianam dixit, de Enniana ne cogitavit quidem: is enim erat tum eius vocabuli usus, ut Enniana nisi aperto indicio adiecto intellegi omnino nequiret. Et num, qui Ennium hic inferunt, huius satiram putant intactum Graecis carmen fuisse? num Graecorum neminem poëmata vario argumento et variis numeris scripsisse affirmabunt? Denique si *auctor* ille *rudis carminis* est Ennius, necessario *poëtae seniores* proximo versu commemorati Ennio seniores accipiendi sunt. Flagitat hoc orationis forma, quae comparativum ad proxima referri iubet; flagitat sententia: nam si intellegerentur Lucilio seniores, ipse Ennius in horum numero esset. At quot tandem ante Ennium Romani poëtae fuerunt, ut *turbam* eorum commemorare liceat? Equidem neminem novi praeter Livium, Naevium, Plautum. Sed ut recte egerunt Heindorfius et Hermannus,

quod Ennium excludunt, ita concedendum non est verba Horatii ita, ut voluerunt, intellegi posse. Nam primum grammatica ratio hoc non patitur, quae duplici tantum modo verba accipi sinit, ut aut *auctor* ille sit alius atque Lucilius, aut si est Lucilius, hic se ipso limatior dicatur. Hoc vidit Meinekius, sed non vidit hac re illam explicationem everti. Neque enim quisquam se ipsum superare dici potest, nisi ita, ut quibusdam sui partibus melior esse quam reliquis dicatur; aliter enim deerit ille, quem ipsum dicimus. At hoc plane ab hoc loco alienum est. Sed ne sententia quidem horum ipsorum verborum Lucilium intellegere sinit. Nam si *auctor rudis et Graecis intacti carminis* significat eum, qui satiram Romanam invenit et primus carmina eius generis composuit, non huius carmen, sive Lucilius est, sive Ennius (nam hunc quoque praeter superiora etiam haec excludunt), rude et Graecis intactum dicitur, sed totum genus, non solum omnes satirae, quae adhuc compositae sunt, sed etiam siquae postea componentur, quia hae res cum ipso genere atque natura satirarum coniunctae sunt. Quod ineptum esse apparet, nisi forte Horatio suae satirae rudes videbantur. Sensit hoc Hermannus dixitque *rude* nihil aliud significare quam *novum*. At nihil egit profecto: nam *rudis* semper est arte destitutus, atque ita sane homo incorruptus vel alia res cum laude dici potest; in litteris quodcumque rude dicitur, vituperatur. Neque ego, quamquam hoc minus premam, satiram puto Horatium dicturum fuisse *intactum Graecis carmen*, qui et 4, 6 et huius satirae v. 24 totum hoc genus ab antiquis Atticorum comicis deducat. Aliud est enim, quod Quintilianus fecit, satiram totam Romanam dicere, hoc est ut carminis genus ab aliis generibus diversum, aliud intactum Graecis, hoc est negare Graecos ullam eius partem attigisse. Sensit hoc quoque Hermannus et ne huic quidem rei satis feliciter succurrit; sed, ut dixi, hoc non nimis premam, cum aliis argumentis satis demonstraverim neque *auctorem* hic dici Lucilium neque *rude et Graecis intactum carmen* satiram Romanam. Atque altero argumento simul hoc effecimus, ne *rude et Graecis intactum carmen* de quocumque carminis genere, *auctor* autem non certus aliquis, sed animo informatus accipi possit, qua sententia haec Meinekius vertit, cum se Hermanni explicationem falso exprimere putaret, his verbis vernaculis: 'er sei gefeilter als der schöpfer einer neuen und von griechischem einfluss unabhängigen dichtungsart', modo posuisset 'einer rohen und von griechischem einfluss unberührten'. Nam ut satira rudis dici non potest, ita nullum genus excogitari poterat, in cuius natura hoc positum esset, ut rude et esset et permaneret. Quid igitur superest? Superest vero simplicissima et optima ratio, ut auctor quidem ille nullus sit certus poëta, sed quem fuisse ponat Horatius; *carmen* autem non genus carminis, sed unum aliquod poëma. Iam hoc dicit: concedo Lucilium esse limatiorem quam eum, qui condiderit (nihil aliud significat *auctor)* carmen aliquod rude, et in quo nulla Graecae artis vestigia insint: nam hoc est *intactum Graecis*, ut poëtice dixit Horatius pro intacto litteris Graecis. Idem igitur poterat his quoque verbis efferre: non dico rudem esse Lucilium et Graeca arte Graecisque litteris destitutum. Eundem deinceps dicit limatiorem *poëtarum seniorum turba*, quem comparativum iam, cum auctor ille nulla sit certa persona, necessario ad Lucilium referimus. Atque hic satis multum Lucilio tribuit Horatius, qui eum Terentio praetulerit. Itaque recte haec vertisset Meinekius, si his verbis usus esset: 'er sei gefeilter als der schöpfer einer rohen und von griechischem einfluss unberührten dichtung'.

LECTIONES

I. ORDINIS THEOLOGORUM


1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

ANDR. THEOPH. HOFFMANN, D. *privatim* 1) *Hiſtoriam Veteris Teſtamenti* (vulgo *Iſagogen in libros Vet. Teſt. et canonicos et apocryphos* nominatam) adiectis *criſeos* et *hermeneutices V. T.* elementis tradet VI dd. hor. XI et 2) in curſu interpretationis LL. *Veteris* Teſt. *Pſalmos* exponet ſexies per hebd. hor. VII. *Publice* autem a) linguam *Syriacam* docebit *ſuam* grammaticam et cl. *Roedigeri* chreſtomathiam adhibiturus bis per hebd. et b) linguae *Sanſcritanae* elementa proponet *Boppio* duce (gramm. minor. edit. 2.) hora auditoribus commoda binis lectionibus. *Seminarii* denique *theologici exercitationes* una cum collegis SS. VV. ſolito more moderari perget.

CAROLUS AUGUSTUS HASE, D., h. t. Decanus, *publice* dd. ſenis h. X *Hiſtoriam noſtri temporis eccleſiaſticam* enarrabit, necnon die Iovis horis veſp. VIII—X *Seminarii theologici exercitationes* una cum collegis SS. VV. moderari perget.

IO. CAR. ED. SCHWARZ, D. *privatim* quinis per hebd. diebus *Ethicen chriſtianam* docebit h. XI—XII; *publice exercitationes ſeminarii homiletici* die Merc. h. XII, *catechetici* die Sat. h. XI moderari perget ita quidem ut cum illis *exercitationes liturgicae* coniungantur.

LEOPOLDUS IMMANUEL RÜCKERT, D. *privatim* 1) *Matthaei evangelium* illuſtrabit, ſen. dd. hora VIII; 2) *Theologiam biblicam* proponet ſen. dd.


COLUMBIA UNIVERSITY
0026056747

